

20  
**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA

DE

**DYSENTERIA,**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

**PRAESIDIS, ET DIRECTORIS.**

SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS

DOMINI DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM DOMINORUM

**P R O F E S S O R U M,**

PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE

RITE OPTINENDO

IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

DISQUISITIONI PUBLICAE SUBMITTIT

**STEPHANUS SCHVARZMEYER,**

HUNGARUS BUDENSIS.

---

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universi-  
tatis majori die Junii 1835.

---

**B U D A E,**

TYPIS TYPOGR. REG. SCIENT. UNIVERSITATIS HUNG.

---

## Diversa morbi nomenclatio.

**D**ysenteria juxta etymon vocis a  $\delta\eta\varsigma$  difficile et  $\epsilon\pi\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\sigma\iota\varsigma$  intestinum, difficultas intestinorum. *Tormina Celsi*, et aliorum veterum. Fluxus cruentus. Alvi fluxus torminosus. Rheuma ventris *Galenii*. Rheuma intestinorum *Coëll Aur.* Fluxus cruentus cum tenesmo. Fluxus dysentericus. Febris rheumatica dysenterica, la dysenterie *gall.* die Ruhr, Blutruhr, Blutzwang *germ.* vérhas *hung.*

NB. Quamvis hic morbus secundum *Richterum* et alios ad inflammationes, secundum longe plurimum nosologorum mentem ad profluvia relatus, quarum prior classificatio magis causae proximae, posterior vero magis symptomatibus illius essentialibus innixa, neque me multum a recta morbi diagnosi deviare existimo, si postremam opinionem sectatus fuero.

## Definitio.

Dysenteria est profluvium tubi intestinalis, frequentissime feбри diversi characteris junctum, torminibus, doloribus scindentibus, tenesmo seu nisu continuo dolorifico ad evacuandam alvum, saepe inani, frequentius evacuationibus tumultuariis liquidi albo-opaci, puriformis, plus minus cruenti stipatum.

## Symptomatologia et Diagnosis.

*Dysent. laevis*, vix unquam epidemica, orditur cum doloribus abdominis moderatis, ad pressionem vix exasperandis, initio vagis, serius magis intestino recto approximantes, ac tandem supra regionem ani fixati, dolorem pressivum tenesmo junctum causantes, aegrumque invitum ad desidendum sollicitantes, quo in principio faeces genuinae per alvum descendunt, ast mox materiae alienae, frequentissime mucosae, sanguine plus minus tinctae, saepe materiam puriformem mentientes, evacuationibus numero sat moderatis (calculo tamen - vix semper exacte definiendis) decies, quindecies — vigesies, per alvum dejiuntur, alterationibus febrilibus nonnisi sub dejectione praesentibus, secus plerumque inconspicuis, quibus symptomatibus per 3dum quadriduum perdurantibus; evacuationes redduntur parciores, tenesmus mitigatur sudore largo critico subsecuto, symptomata febrilia dissipantur, alvo regulari, faeculento rursus restabito, appetitu, somno et cunctis functionibus ad normam pedetentim reductis morbus consuetim intra 4- octiduum solvitur.

*Sub decursu morbi intensioris, qualis imprimis tempore epidemiae vigentis solennis est, discriminari possunt stadia tria.*

*Stadium prodromorum*, orditur semper symptomatibus febrilibus, signanter statum organorum digestionis alienatum designantibus, ut: dedolatione artuum, pandiculatione, capitis gravitate, horripilationibus frequentius recurrentibus; frigore cum calore alternante, mox in eum terminante, cum anorexia, nausea, vomitionibus ac vomitu; huic statui adparenti gastrico se mox associant dolores initio mitiores, vagi, quamvis frequentissime in regione mesogastro-umbilicali exorsi, rariusve recurrentes, ast mox acriores, scindentes, crebrioresque redditi, alvum jam frequentem, diarrhoicam, biliosam, vel mucosam reddentes, jam

obstipam; his symptomatibus gastrico-catarrhalibus communiter per 2. 3ve dies durantibus, subinde tamen ultra septimanam extensis, minime tamen, nisi fors tempore epidemiae grassantis infallibilibus, comparet. —

**Stadium evolutionis** — in quo dolores scintillantes mox per ambitum abdominis diffusi, frequentiusve recurrentes mox tantam atrocitatem consequuntur, ut aegros miseros ad ejulandum, corpusque violenter antrorsum contorquendum cogant, mox accedit tenesmus, seu nisus dolorificus ad deponendam alvum, initio per minora intervalla remittens, et quidem cum secessu faecum durarum, scibalorum, mox tamen excretio materiae faeculentae cessat ita, ut jure merito per tot jam autopsias cadaverum convicti praetendere liceat, Dysent. omnem intensiorem, sub ulteriori decursu suo cum vera obstructione intestini colon junctam esse; morbo increcente tenesmus evadit continens, subinde cum prolapsu, et incarceratione intestini recti, imprimis in tenerioribus, cum ingentibus aegroti cruciatibus, subinde et gangraena nexus, qui subinde inanis est ita, ut nulla excretio contingat, et vocatur a nonnullis nosologis *D. sicca*; vel contingit evacuatio muci tenuis serosi. *D. serosa*; frequentius muci spissioris glutinosi ductilis. *D. mucosa*. subinde excernitur bilis flava, viridis, meraca, acris; *D. biliosa*, subinde cum secessu vermium; *D. verminosa* — In casibus longe consvetioribus contingit evacuatio liquidi albo-opaci, puriformis, subinde peculiariter foetentis. *D. alba*, cui subinde sanquis instar punctorum vel striarum rubrarum intermixtus, subinde merus sanguis evacuatur. *D. rubra*, qui subinde nigrigans esse solet; — subinde evacuatur fibrina, effingens concrementa cylindracea vel tubulosa. — Cuncta haec liquida singula vice quantitate parca, ad paucas drachmas, subinde tamen ad uncias, in casibus rarissimis ad libras complures evacuantur; contingitque talis evacuatio tumultuarie ita, ut intra horam plus decies, intra

Nychtemerum autem, subinde et ducentis vicibus alvum de-  
 jiciant, quamvis et situm aegri jam horizontalem, jam la-  
 teralem, ad tantam frequentiam multum conferre adnotatum  
 fuit. — Lineamenta faciei insimul peculiarem anxietatem ex-  
 tricant; ob gravissimam adfectionem consensualem systema-  
 tis nervosi imprimis, calor animalis exaltatus, continuus,  
 siccusque cernitur, sitis nimis intensa, in frigidam vel  
 acidiuscula directa, post cujus singulum haustum evacua-  
 tiones illico augentur, color cutis post aliquot dies evadit  
 luridus, squalidus, quasi terreus, debilitas aegroti ab eva-  
 cuationibus his tumultuariis augetur nimium, ita, ut pluri-  
 mi in acme situm observent neglectum. Symptoma ominosum  
 sub hocce stadio constituit tenesmus, subinde ad vesicam  
 urinariam extensus, ad mittendum lotium continuo pellens,  
 non minus glandula prostrata, in sexu vero sequiori vagi-  
 na ac uterus consensuali modo gravissime adficiuntur.

Stadium hoc subinde ex mera inanitione virium vita-  
 lium morte terminandum, longe saepius tamen sub faventibus  
 circumstantiis transit in:

*Stadium decrementi.* sub quo dolores abdomi-  
 nales et sacrales multum leniti rarius revertuntur, ex-  
 cretiones illae tumultuariae evadunt rariores, materiae ex-  
 cretae ad indolem faeculentam magis accedentes, foetorem il-  
 lum proprium amittunt. Facies evadit hilarior, adpetitus  
 cibi aliquis se anunciat, symptomata febrilia cuncta dispa-  
 rent; duratque stadium hocce per 7 — 14 dies, evanidis  
 omnibus symptomatibus morbi stadium *Reconvalescentiae*  
 tempore indeterminato locum habet, —

Ex his signa diagnostica *Dys.* ab aliis morbis  
 relate ad symptomata aliqua topica subin analogis, inter quos  
 vel haemorrhoides, inflammationem, indurationem spasmus  
 intestini recti, vesicae urinariae, prostratae, vermes,  
 canerum Uteri, calculum V. U. memorasse sufficiat, dis-  
 criminantia, facile deduxeris. En illa! 1) *evacuatio*

nes tumultuariae dolorificae intestini recti, qua diversae indolis, coloris et consistentiae materiae dejiciuntur, 2) tenesmus continuus dolorificus, 3) dolores scindentes colici abdominis, 4) febris.

## Morbi Divisio.

Quamvis Dysenteria relate ad essentiam unica, ad normam tamen aliorum morborum diversis obnoxia modificationibus, diversis divisionibus ansam dederat, itaque factum, ut multi nosologi post C. Mason Good. durationi morbi principalem reflexionem tribuentes, Dysenteriam distinxerint aliam acutam, quam speciem enteritidis acutae, et quidem praeferebant intestini recti, tenesmo continuo dolorifico, et evacuationibus tumultuariis materiae morbose secretae subinde plus minus cruentae stipatae, contendunt.

Chronicam aliam, quam in evacuatione crebriori materiae purulentae subinde sanici, a suppuratione maligna partis alicujus intestini crassi, frequentissime intestini recti derivandae, statuunt. Magis arridet recentioribus dum respectu prognostico, quum therapeutico divisio Morbi in frequentia aegrorum fundata, dividuntque huic conformiter Dys.

In sporadicam, qualis omni tempore provocatur, per potentias nocentes in singula individua agentes, quae ut plurimum mitior, esse solet, epidemicam, priori perniciosiorem, in Indiis utrisque et Africa atrocissimam, quamvis et in Europa signanter vero in Hungariae regionibus planis, depressis, exundationibus frequentius obnoxilis, stagnis referitis, sine aestatis fervidae, atmosphaera subito refrigescente, aliis insuper causis universalibus concurrentibus, inter miseros colonos magnas edit strages.

Differentiae essentiales Dysenteriae relate ad characterem dyn. Febris, licet morbus intensior imagini supra adumbratae ut protypon respondeat,

summi tamen tum respectu prognoseos, quum therapiae interest, naturam febris, symptomata et decursum haud parum modificantis exacte definire, quae febris, quum necquidem in *Dys.* mitissima penitus desideretur, in intensiori semper ad essentiam morbi spectat adeo; ut C. Sydenham *Dys.* febrem pronunciaverit ad intestina conversam, cujus character fundamentalis initio est inflammatorius, nec tamen ejusdem intensitatis, neque indolis, per extensionem inflammationis localis, per constitutionem individuaalem aegri, characterem epidemicum, causam occasionalem, vitae regimen, therapiam uberius definiendis.

a) *D. inflammatoria*, frequentissime juvenes et viros robustos invadens, quamvis morbo epidemice regnante nec infantibus ac facininis tenerioribus parcat, inchoans statim cum febre valida, calore sicco, continuo, rubore faciei adaucto, lucis impatientia, conjunctivae rubore, cephalaea intensa, siti vix exstinguibili, urina parca, flammea, pulsu frequenti, duro, non raro parvo contracto, et cunctis symptomatibus topicis per eminentiam in symptomatologia elucubratis; raris tamen in casibus hunc characterem per totum decursum retinet, frequentissime in statum adynamicum nititur.

Longe frequentius tamen character febris est mitior phlogisticus, imagini *D. sporadicae* laevioris apprime respondens, raro tamen simplex, sed sequentes varietates agnoscens.

aa) *D. rheumatica*, jam *Coël. Aurel, Tral- liano* nota, recentioribus temporibus ad mentem *M. Stoll*, adeo obvia, ut statueret: *Dys.* nihil aliud esse quam rheumatismum intestinorum; talem characterem adipiscitur post aerem frigidum et humidum, in individuis cuti sensili praeditis, characterisatur: extremitatibus frigidis, doloribus lacerantibus articulationum, pulsu frequenti, duriusculo, urina rubicunda, topice: Abdomine denso, doloribus lacerantibus intensis per vices tantum recurrentibus, sub quibus evacua-



tiones contingunt tenues, mucosae, sanguine pauco inmixtae parciores, morbus frequentissime solvitur sudore largo critico, vel contingunt metastases ad renes, vesicam, urinariam, testes vel ad femora, articulationem coxarum — luculentius adhuc loquitur pro indole rheumatica Autopsia cadaverum Dysentericorum, quorum intestina crassa imprimis rectum, non raro incrassata, dura, tenacia, et multis locis stricturis notata fuere.

bb) *Dys. catharrhalis* — frequens varietas imprimis secundum Gallos, qui morbum in catharrho intestini recti locarunt, hic character imprimis vere et autumno, constitutione epidemica catharrhali regnante solennis, adoritur cum horripilationibus, frigore, doloribus tensivis, quae excipit calor exaltatus cum cephalaea frontali, oculorum illachrimatione, sternutatione frequenti, coryza, et diarrhoea, cui mox insequuntur symptomata communia *Dys.* cum evacuationibus ut plurimum albo opacis.

cc) *Dys. biliosa* — cum priori varietate frequentissime complicata, nam una eadem causa (refrigerium quippe) quae functionem dermatis sufflammat, et bilis secretionem auget, phlogisticam ejus indolem intendit; manifestat se per sequentia signa diagnostica, nempe: per calorem siccum, pressionem in scrobiculo cordis, nauseam continuam, vomitum biliosum alleviantem, linguam muco flavicante tectam, diarrhoeam biliosam, urinam fuscam, difficulter mittendam; cui se mox associant symptomata *Dys.* evacuationes flavo-brunescentes, orificium ani excoriantes, peculiarem foetorem spargentes.

*Dys. nervosa et putrida*, qualem characterem morbus protopathicus ab exordio nunquam exhibet, sed frequentissime per characterem inflammatorium nimis intensum, vitalitatem syst. nervosi et vasorum per nimiam reactionem quasi exhaurientem, subinde et per alios influxus debilitantes inducitur, quos status cognoscimus: e prostratione virium ma-



gna, turgoris vitalis collapsu, pulsu arteriarum parvo, molli, irregulari, lingua arida saepe fusca, fissa, sensuum externorum obnubilatione, mentis absentia frequentiori, doloribus abdominis intensissimis et tenesmo frequentius remittentibus, quo excretiones contingunt profusae materiae tenuis, coloris fusci, nigricantis, nimis foetidi cadaverosi, morbo in altiore gradum evecto, accedunt deliria cum sopore alternantia, sudor colliquativus, animi deliquia, paralysis partiales, ut linguae et aliorum, miliaria, petechiae, decubitus gangraenescentes et mors plurimum paccata.

## Sectionis Resultata.

Alienationes morbosae saepissime tantum ad tubum intestinalem restrictae, quarum omnes eo conspirare videntur, ut phlogosim intestini recti praegressam innuant, quae pars tubi intestinalis una cum adjacente parte intestini colon praerubra, tumida, subinde erosionibus superficialibus notata, a C. Richter tamen, qui eas tantum per pseudomembranam reticulatam dorso scalpelli facile deradendam efformari statuit, perperam negatae; saepe stricturis, punctis fuscescentibus, nigris provisa; subinde pus, materia puriformis, in interna superficie collecta.

## Aetiologia.

Dari dispositionem quamdam generalem in hunc morbum in peculiari teneritudine et sensibilitate tubi intestinalis radicatam, vel inde convincimur, quod nulli aetati, nulli sexui, nulli temperamento parcat exitiosus hic morbus, quod quidem in sexu virili frequentius, quam in sequiori, aetate virili frequentius, quam caeteris vitae periodis redundet, non tam in praevalenti receptivitate, quam potius in eo fundari videtur, quod hic sexus, et aetas maxime activa, causis excitantibus magis exposita sit. Multum ta-

men absit, ut hanc solam imprimis, in *D. sporadica* sufficientem praetendam; haud immemor, non omnes iisdem influxibus sinistris expositos, morbo praehendi, unde colimare fas est, dari et momenta receptivitatem peculiariter exaltantia, hinc in morbum peculiariter disponentia.

Causae in morbum praedisponentes; faciunt huc magna ad admittendum refrigerium proclivitas, intestinorum teneritudo et stimuli impatientia, digestio tarda, imbecillis, nimia ventris per profluvia praegressa laxitas, animi pathemata, imprimis metus nimius erga morbum futurum, defectus alimenti congrui, inmundities, saburra gastrica vel intestinalis, mucosa, biliosa, verminosa.

Causae excitantes sunt diversae, aptissime in locales sporadice, et universales, epidemice agentes dispescuntur, ad locales faciunt a) Alimenta incongrua ut fructus horrei immaturi, corrupti, vel ovulis insectorum contaminati, vel qualificatis licet bonae, nimia quantitate ingurgitati, quo imprimis cucumeres, pepones, melones. Zcamays peculiarem considerationem merentur, huc facit et panis male pistus, e farina cereali corrupta paratus, caro semiputrida, aqua stagnans in usum quotidianum tracta, sed et solus error diaetae in tenerioribus imprimis reconvalescentibus; sic caro suilla, ovula piscium, hepar plurium animalium, imo teste Morgagni et legumina una cum epidermide duriori majori copia ingesta morbum sporadicum causant. Altiozem inter causas excitantes *D. sporadicae* locum sibi vindicat abusus purgantium drasticorum, elixiriorum aloëticorum, specificè in vasa haemorrhoidalia agentium.

In casibus rarioribus inducitur per diversa effluvia animalium, imprimis putrida, sic *Desgenettes* Cairo commorans, per solam evaporationem velleris cervini putredine correpti in morbum incidit, similiter *L. Meisner* inter ipsos Medicinae candidatos, qui sectionibus legalibus cadaverum semiputridorum intererant, saepe morbum errumpi observavit, quo-

modo autem hoc miasma animale agat? an cum saliva in tubum cibarium deferatur? an per cutim vel vasa aerea organorum respirationis absorbeatur? an denique solum in systema nervosum in specie in nervum olfactorium agat, huiusque ope affectio in nervos tubi intestinalis propagetur? hucdum demonstratum nedum est.

Saepe excitatur per causas sympathico modo agentes, et quidem vel per consensum quo spectant subin variolae, aphthae ad intestina extensae, vel per antagonismum: quo evacuationes imprimis: catamenia, haemorrhoides, vel morbi cutanei evanidi referri solent.

### Causae morbum epidemicum excitantes.

a) *Fructus horrei immaturi, corrupti, quotidianum in usum tracti, ad quos miseri coloni tempore imprimis egestatis maxima parte restricti, causam excitantem constituunt feracissimam, quamvis hanc solam causam Degner, Tralle, Pringle, Quarin et alii insufficientem contendunt.*

b) *Aer frigidus humidus et subitanea temperatura mutatio, causa excitans maxime vulgaris, per quam irritatio specifica contingit in intestinis praepimis recto, quare tamen haec intestinorum pars praefereenter adficiatur? nos latet; hanc causam frequentissimam esse, et evolutio morbi epidemici tempore canieulorum Mense Augusto et Septembris initio, quo aestus diurnus cum frigore nocturno alternat, testatur, et quidem vel maxime in plebe ut viniculis, mercenariis, messoribus obviis, quorum tubus intestinalis per praegressum aestum diurnum, haustum potulentorum aquosorum acidorum, ut: lactis acidi, vini austeri, cerevisiae acidae non-fermentatae, ingurgitationem fructuum horreorum, aliorum dispeptorum nimis relaxatur, accedente exaestuatione continua, sudoribus profusis, quo adhuc et*

vestitus laevior, decubitus post labores sub dio peractos in locis umbris, dumetis vel solo humo frigido faciunt, quibus momentis cunctis rite perpensis minime mirandum, Dysenteriam tempore praefato inter plebem constituere morbum feracissimum.

c) **Constitutio Atmosphaerae** peculiaris, causa epidemiae proxima, in quo tamen haec aeris atmosphaerici mutatio fundetur, an in partibus constituentibus alienatis? an in substantia aliqua peregrina atmosphaerae inmixta vulgo miasmate? adhuc in dubio reliquendum; ob hanc peculiarem atmosphaerae conditionem Dys. nec ubique locorum, nec omni anni tempore epidemice grassare consueverat.

De contagiositate hujus morbi gravissima longo tempore agitabatur quaestio, non defuerunt quidem, ut *Lind, Pringle, Cullen, Pinel*, ut fervidi hujus opinionis defensores, quorum tamen assertum observationes practicae tam Parisiis in nosocomio charité, quam Viennae a *M. Stoll* institutae convellere videntur, qui candide fatetur, inter centenos aegros dysenteria affectos in eodem cubili decumbentibus et alii aegri, quin vel casus unicus contigisset, morbi per contagium propagati. — Nos in tanto opinionum descrimine mediam inviantes viam, quamvis absolutam contagiositatem hujus morbi negemus, in Dysenteria tamen nervosa vel septica indoles contagiosa jam saepius comprobata, quod vel per exhalationem aegrorum concipitur, longe frequentius tamen e faecibus emanans scrupulosius investigantibus communicari solet.

## Causa proxima

Summi interest naturam morbi intimam penetrasse; a.) Non defuere, qui partim e materia puriformi per alvum excreta, partim ex ulceribus in cadaveribus repertis causam illius ultimam in exulceratione tubi intestinalis collocare

non reformidarunt. — Procul tamen absit, ut his consentirem, cum similem materiam puriformem et in aliis obviis inflammationibus catarrhosis e quibus: vel coryzam, blenorhoeam urethralem, vaginalem, catarrhum tubi intestinalis chronicum comemorasse sufficiet, excerni conspicimus, cum quibus Dys. nisi character inflammatorius valde intensivus sit, maximam fovere analogiam nemo negabit; accedit quoque, exulcerationes has praefatas in plurimis casibus tantum opinosas fuisse.

b) Pathologiae humoralis asseclae, quorum opinionem recentius resuscitavit *Zimmermann*, causam proximam Dys. statuere in peculiari degeneratione liquidorum entericorum, et praeprimis bilis; dolores, tenesnum, evacuationes tumultuarias a sola intestinorum per cacochymiam humorum entericorum et bilis irritatione facisci arbitantes. — Quamvis per morbum evolutum humorem entericum praeprimis bilem alterari non negaverim, per cacochymiam autem primarum viarum dolores colicos, tenesnum, catarrhum intestinorum induci, indubia dentur exempla, (Dys. spuriae) sed in Dys. genuina ipsum statum abnormem intestini recti inde explicare velle, conamen irritum foret.

c) *C. Berends*, indolem Dys. exactius indagans, causam proximam in inflammatione rheumatico-catarrhosa ipsius intestini recti, et partis adjacentis colon, glandulis et folliculis mucosis refertissimorum posuit. — Structuram intestinorum, praeprimis crassorum, in adfectionibus catarrhoso-rheumaticis favere, qua passim fit; ut Dys. persaepe hanc indolem assumat, certum est, ast neque reticendum, naturam morbi simplicis, imprimis tempore Epidemiae regnantis in casibus plurimis pure phlegmonosam esse, quod et indoles febris consensualis, et exitus Dys. sinistri omnibus inflammationibus communes, in exudationem, suppurationem, gangraenam et sphacelum testantur.

E combinatione omnium symptomatum plene convicimur, causam proximam Dysenteriae consistere in statu inflammatorio partis alicujus intestini crassi, frequentissime solius intestini recti, hinc sensus ille ustionis in regione sacrali, hinc tenesmus continuus, hinc impedita faecum excretio, hinc excretio tumulturia liquidi morbose secreti, hinc in cadaveribus signa praegressae inflammationis, erosionis, subinde exulcerationis vel gangrenae in intestino recto reperta; quamvis inficias ire noli, subin et colon inflammatione comprehendi, rarissimis tantum in casibus ad ileum extenditur.

### D u r a t i o .

Morbus levior curriculum suum intra quadriduum usque octiduum, potissimum per diaphoresim criticam absolvit. Dysenteria tamen intensa, quamvis subinde nimis acute decurrens, jam intra biduum triduum, letho terminetur, longe saepius tamen in 17—21—imo 30 et ultra diem excurrere solet.

### P r o g n o s i s .

Dysenteria levior praesagium generatim faustum annuens, subinde per solam autocratiam naturae deducitur in sanitatem, quem exitum optatum, febris, doloresque colici mitigati, sensus ardoris in intestino recto evanescens, tenesmus et evacuationes rariores redditi, cutis et lingua humida, lotium largius missum, innuere satagunt. In Dysenteria tamen intensiori prognosis manet dubia, et quidem vel eo intuitu, quod subin, imprimis morbo epidemice regnante potestati medici nequaquam datum sit, causas excitantes et sustentantes amovendi, id ipsum observare est in castris, navibus, imo et ruri, quo alimenta incongrua, frigus et humor in aegros morbo correptos continuo influunt, quo locorum tanta

subinde edit strages, ut relate ad atrocitatem communi medicorum suffragio, typho imo et pesti aequiparari possit. — Inter symptomata Dysenteriae ominosa censentur: nimia sensibilitas regionis hypogastricae, dolores scindentes intensissimi in toto ambitu abdominis accusati, tenesmus continuus qua evacuationes contingunt tumultuariae materiae puriformis, sanguinolentae, copiosae, serius fuscae, nigrigantis, tenuis, foetidissimi, acerrimi, orificium ani partesque genitales inflammantis, excoriantis; his accedit calor continuus siccus, cum anxietate et inquietudine nimia junctus, jactitatio continua, sitis intensa, vomituritio, vomitus; morbo incremente accedunt symptomata adynamiae: siccitas et ariditas colli, deglutitio difficilis, lingua sicca, mucus fuscus tecta, subinde fissa, frigida, facies collapsa pallida, hippocratica, collapsus virium summus, quo omnia ingesta mox vomitu redduntur, his accedunt anaesthesia, deliria placida vel status soporosus, tendinum subsultus, singultus, evacuationes colliquativae, convulsiones, situs neglectus, extremitatum frigus, paralyses partiales, et mors.

*Praeter resolutionem et mortem directe per indolentem Dysenteriae nervosam vel septicam inductam, haud supervacaneum erit, alios exitus Dysenteriae consuetos elucidare, cuius loci est:*

*a. Induratio et desorganisatio tubi intestinalis, ope lymphae quippe inter tunicas intestinorum exsudantis parietes illorum incrassantur; vel vero membranae vel filamenta lymphatica generantur (Frank) quae pertinacissimae alvi obstipationis, vel varicum haemorrhoidalium ansam dederant, cognoscitur quod febris et dolores scindentes abdominis decrescant, evanescant, sed tenesmus et dolor pressivus in intestino recto perduret, certo indicio Dysenteriam acutam in D. chronicam, blenorhoea intestinali chronica stipatam, niti, in sequelam autem turbatae assimilationis, et evacuationis humorum lymphaticorum continuac, tabes,*



febris lenta, hydropes, et mors lenta facilem habebunt explicatum.

b. Suppuratio, qui exitus rarus, neque eum alibi quam in Dysenteria phlegmonosa intensiori expectare licet — hinc ne inique quis mucum puriformem per morbum chronicum secretum pro pure genuino habeat, cognoscimus hunc exitum, quod sub longiori decursu morbi dolores scindentes mutantur in pulsatorium; qui dolor fixus percipitur in parte aliqua intestinorum, connexus cum evacuatione liquidi purulenti, emaciatione et febris lenta.

c. Gangraena, qui exitus funestus priori frequentior, mortemque cito inducens. imprimis in Dys. sic dicta nervosa, vel nervoso-septica et gastrica solennis est, quamvis et Dys. phlegmonosa intensa, latius per tubum intestinale extensa, imprimis ob nervorum copiam majorem frequentius hunc exitum nanciscitur, cognoscimus eam: e doloribus scindentibus intollerabilibus continuis per totum ambitum abdominis diffusis; e dys. sic dicta sicca, vel evacuatione colliquativa materiae fuscae tenuis, acerrimae, odori foetidissimi cadaverosi, inquietudine nimia, pulsu parvo, frequenti, contracto, siti inexplebili, et communibus symptomatibus Dys. nervosae.

Inter momenta prognosin modificantia spectat, 1) aetas, ita in infantibus et senibus decrepitis morbus periculosior. 2) constitutio corporis, sic in individuo robusto prognosin generatim laetior, quam in debili cachectico. 3) certa vitae conditio ita tempore graviditatis vel puerperii prognosin infausta. 4) causae occasionales, morbus per causam topicam v. g. per ingesta generatus levior censetur illi per causam universalem positi. 5) character dynamicus morbi — Dys. cum characterem mitiori inflammatorio, prognosin habet laetiozem, minus laetam, quae characterem phlegmonosum agnoscit, infaustam vero, dum characterem assumit nervosum vel septicum.

## Therapia.

Quamvis contra morbum atrocem remedia quaedam ut specifica antidysenterica multum celebrata, cum tamen non tantum inefficacia, verum sub certis epidemiis manifeste noxia, ab illius ulteriori adplicatione medici merito absteruerunt, prout enim natura Dysenteriae varia est, ita quoque in singulo casu individuo cura morbi varia requiritur.

Indicatio itaque curae prima causalis sit requiritur, ita Dysenteria gastrica per saburram ex ingestis producta, evacuationem ejus exposcit, cui in casibus frequentioribus apprime respondet emeticum Tart. emeticus vel ipecacuanha, quae remedia et secundo effectum per conuersionem totius corporis et systematis nervosi, transpirationem cutis augendo, et motui peristaltico debitam directionem conciliando proficua sunt, signis saburrae deorsum turgentis, purgantia remedia indicata sunt, in multis casibus mitissima, ut: pulpa tamarindorum, oleum ricini jam sufficere, subinde tamen et drastica ut jalappa requirebantur, debita tamen cautela nunquam neglecta, ne fors inflammationem in tubo intestinali latentem exaltemus. Si forte Dys. producta per morbum cutaneum evanidum, irritatio cutis per frictionem solam, vel aromaticorum, per synapismos, vesicantia requiritur — ubi vero Dysenteria fuerit symptoma febris intermittens ibi cortex, si Dys. producta fuerit per dentitionem difficilem utimur remedio a *L. F. Lentin* qua specificum comendato, nempe oleo olivarum recenti cum saccharo saepius per diem cochleari coffeaceo exhibitum.

Indicationem curae aliam desumimus a statu dynamico-organico abnormi, cum autem is initio semper sit inflammatorius, ideo Methodus antiphlogistica est indicata, in qua partem principalem curae constituit Vitae regimen antiphlogisticum, quod consistit in sollicita evitacione omnium stimulorum

statum irritatum tubi intestinalis exasperantium, inter haec principem locum tenet refrigerium ad quod evitandum aeger Dys. affectus debet calore moderato foveri, in lecto detineri, sollicitè invigilantes, ne ad alium evacuandam fors nudipes ad majorem distantiam exeat, ad quod evitandum optime deservit suppositorium, ne fors potum gelidum hauriat; sed et aeris puritati studendum, ad quam conservandam matula illico removeatur, ventilatio nulla die intermittatur hac haud sufficiente fumigatio vapore aceti, vel acidi nitrici vel salis, vel chlorii ope instituat, receptacula aqua vel aceto post singulam sedem eluantur, praeterea animi affectus deprimentes sollicitè arceantur.

Praeter vitae regimen indicationem ulteriorem desumimus ab intensitate et complicatione status inflammatorii tubi intestinalis, ita in Dys. sporadica, caractere inflammatorio miti stipata, subinde solum vitae regimen jam sufficit ad morbi resolutionem, hoc tamen insufficiente reperto ulterior cura necessaria est, duabus potissimum indicationibus innixa et quidem 1) ut inflammatio topica imminuatur, cui scopo optime deserviunt interne Decocta emollientia; mucilaginoso ut Decm sem. lini vel canabis, hordei, oryzae, malvae, althaeae ac salep, vel emulsio amygdalarum dulcium, vel emulsio oleoso-gumosa, externe non parum opitulatur, a) Cataplasmata emollientia, emollienti-narcotica, e pulveribus specierum emollientium addito pulv. herb. cicutaе, hyosc.  $\frac{aa}{\text{aa}}$  Unc. IV., libr semis, abdomini, regioni sacrali, vel perinaeae imponenda, cum vero frequens horum renovatio facile refrigerio ansam det; praestat potius inunctio cum oleo blande narcot., ut oleo hyosc. vel cicutaе cocto, et desuper pannum laneum ponendum. b) Clysmata emollientia anodyna, ex solutione amyli in aquae calidae unciis tribus, cum tincturae opii simplicis guttis sex usque octo, nisi applicatio eorum vel ob spasmum sphincteris ani, vel ob nimiam irritationem applicata-

tione tubuli productam recusaretur, perquam proficua essentur.

*Cel. Hildenbrand* comendat clyσμα ex Decocto aliquo emollienti ad uncias duas, cum vitello ovi subacto, in Dys. infantum admodum efficax.

Characterē inflammatorio mitigato, utilia sunt:

Diaphoretica mitiora, ut infusum florum sambuci, vel tiliae addito roob sambuci vel spiritu mildereri.

Subinde statu inflammatorio omni evanido dolores, tenesmus, et evacuationes tumultariae continuant ob sensibilitatem morbose exaltatam, atque tunc narcotica remedia indicata sunt, inter quae principatum tenet Opium, quod jam solum sufficit ad gran. semis, unum in emulsione frequentius in conubio cum ipecacuanha, cui *G. A. Richter* adjecit calomelam sequenti forma. R p e. Opii puriss. — Hydr. muriat. mitis. — Pulv. rad. ipecacuan  $\frac{an}{an}$  gr. unum. Sacch. alb. gr. duodecim m. f. pulv. dent. dos. tales Nro. tres. Sign. vesperi pulv. unum sumendum desuper infusum florum samb. bibendum.

Si in individuīs debilioribus character aliquantum in nervosum nitatur, tunc ad praefatos pulveres adjicitur Camphora ad gran. unum - duo. Eodem scopo inservit sequens tinctura: R p e. Liquor. amon. succin. drachm. tres. Opii puriss. gran. quatuor. Extr. hyosc. gr. octo. Sign. ter per diem bene exagitando guttas triginta in cochl. cibario, vel in vicem pulv. Doov. — Vini stibiati drachm. tres. Tinct. Opii simpl. drachm. unam Sign. summat aeger ter per diem guttas viginti.

Altera indicatio in plurimis ob indolem febris mitiorem inflammatoriam raro necessaria, curaquae illius contemporanee iisdem prorsus remediis antiphlogisticis et diaphoreticis supra adlatis perficitur, subinde tamen peculiariter modificata, singularem expostulat circumspectionem.

Subinde febris Dys. exhibet characterem catarrhosi: atque tunc sal. ammoniacus a dr. semis-unam. cum pulv.

liquirit. vei in decocto aliquo emollienti cum succo liquirit. inspiss. v. juxta. *Ström, Richter*. Sal. amoniacus in conubio cum opio et ipecacuanha forma pulv. maxime comendatur. *Thomson* maxime comendat. calomelis gr. unnum. — duo, cum opii pur gr. semis uno, bis terve. per diem. (*Journ. de Med. Chis. Pharm. ectr. Paris 1817. J. XXXV.*) *Schmitjan*, ut specificum fere laudat flores sulphuris s. f. Rpe. Sacch. canar. Gummi. arab. ana. unc. unam. Florum. sulph. unc. semis. Sem foenic. dr. semis. m. f. pulv. d. ad scat. s. pulv. dys. omni trihorio cochleari parvo cum aqua smendum. (*Jour. der prakt. Arzneyf. und Wissenfchaften. Hüfeland.*)

Interdum character febris eminent rheumaticus atque tunc remedia diaphoretica mitiora maximam inveniunt adplicationem, his tamen insufficientibus repertis. *Mathei*, impense commendat hoc in casu acetatem ammoniae in conubio cum Opio. *Jördens* vero chysmata ex decocto concentrato herb. et flor. millefolii addito uno alterove coobleari. coff. amyli. (*Allgem. med. Ann. d. 19. Jahrh. a. d. Jahr 1802. Febr.*)

Non raro Dys. sporadica frequentius adhuc epidemica exhibet characterem eminenter inflammatorium, saepissime hunc characterem die morbi tertio usque sextum adipiscitur, atque tunc methodus antiphl. strictior necessaria est, sanguinis evacuatio universalis, juxta *I. Leod. Mackintosh* saepius reiteranda, nobis tamen caute instituenda, frequentius contentamur sanguinis depletione topica hirudinum ope, et quidem infantibus adplicamus hiru- dines 4—10. adultis. 12.—20. jam regioni perinaei, jam circa orificium ani. subinde et regioni sacrali; tenesmo dolorifico mitigato, doloribus scindentibus in abdomine perdurantibus, juvat hiru- dines vel cucurbitulas cruentas thecae abdominali adplicare; sanguinis depletione praemissa, externe cataplasmata emol- lientia vel emollienti-narcotica adplicamus, (interne) decocta

emollientia exhibenda sunt. Nitrum et sales antiphlogistici, contraindicata sunt, usus quoque opii peculiarem cautelam requirit.

Subinde character inflammatorius peculiarem subit modificationem per saburram biliosam, et symptomata polycholiae, quo in casu evacuatio saburrae indicata est, summam tamen medicoque nunquam satis condigne commendandam circumspeditionem exostulans, ne errorem in diagnosi comittamus, in therapia effectu facile lethalem, ideo disquirendum an signa saburrae biliosae omnino praedominantia cernantur, quo in casu emeticum in specie vero Tart. emet. maxime indicatur, subinde tamen purgantia imprimis eccoprotica majoris sunt utilitatis — Subinde tamen signa saburrae biliosae sunt fallacia, non tam per polycholiam quam per statum irritatum hepatis fors consensuali modo per statum inflammatorium intestini recti productum, inducta, quo in casu Calomel princeps sistit remedium, jam solum cum sacch, jam in conubio cum adjuvantibus sic *Fergusson*, comendat Calomel cum Ipecacuanha, dosi magna. (*Medico-chir Transact. Vol. II. Edit. II. London, 1813.*) *Pawer, V. A. Calomel dosi magna cum Opio. (The Lond. Med. Repository. etc. Vol. VIII. 187.) Thomson Uniquem. hydr. cinereum a. dr. una. ad duas. abdomini inungi curat. interne calomel ad gr. duo cum gr. semis Opii (Jour. de Méd. Chir., Phr. etc. Paris, 1816) subinde in Dys. biliosa provocatur vomitus nimius contra quem, *Girelius* sequentem commendat pulv. Rpe. Magn. alb. acid. tart. cryst. ana part unam. Sach. part quatuor m. f. pulv. cui dum ex praescripto datur, unciae cuique, olei menth. pip. gutt. tres admiscendae sunt. S. 3 — 4 quodidie cochleari coffeaceo cum aqua sumendum.*

Saepe statu inflammatorio per methodum praefatam omni evanido, dolores, tormina, tenesmus, et evacuationes tumultuariae continuant, ob sensibilitatem tubi in-

tesinalis morbose exaltatam, atque in tali casu narcotica et antispasmodica remedia praeferebantur, inter haec spectat:

a) Ipecacuanha, dosi refracta ad tenesum et irritabilitatem morbosam tubi intestinalis mitigandam plurimum facit, alvum faeculentam educit. exhibetur a  $\frac{1}{4}$  gr. ad gran. unum. pro dosi. licet. c. *W. Irving*, dosim longe majorem a 6 — 12 gr. comendet.

b) Extractum nucis vomicae, *Hufeland*, nucem vomicam in extracto vel pulv. comendat. (*Journ. der prakt. Arzn. u. Wundarzn. I Bd., I St. Jena, 1795. IV.*) similiter *Schultz* post praemissam purgantem medicinam. commendat extractum solum cum involventibus v. c. Rpe. Extract. nucis vomic. scrup. semis. Mucil. gum. mimos. unc. unam. Aquae font. unc. sex. Syrup. alth. uuc. unam. quamvis ad virtutem exaltandam addant aliqui Opium.

c) Extractum hyoscyami, (*Richter.*) rarius, et quidem frequentissime in Dys. biliosis mitioribus usitatum.

d) Opium, omni contraindicatione absente remedium, cui nullum aliud aequiparandum, exhibetur jam solum in emulsione oleoso-gummosa. jam in decocto aliquo emollienti, frequentissime in conubio cum ipecacuanha vel calomela.

aa) Clysmata anodyna involventia, ubi applicatio eorum conceditur perquam utilia censentur.

bb) (ext.) Cataplasmata emollientia, emollienti-narcotica, metu refrigerii admittendi praesente potius comendamus unquentum althaeae cui addimus unquentum vel extract hyoscyami cicutae et tincturam Opii. *I. O. Beirne* infusum nicotianae tabacae forma fomenti abdomini applicatum, magno cum emolumento adhibuit.

Saepe character morbi inflammatorius tantum sub exordio morbi observatur, serius partim ob constitutionem individualement aegri, genium epidemicum regnantem, influxus debilitantes, imprimis therapiam incongruam evolvitur cha-



racter Dysenteriae nervosus vel septicus, gradu debilitatis minori praesente imprimis camphora et acetas ammoniac dosi minori indicata sunt, exhibentes in vehiculo aliquo aromatico v. c. aquae dest. flor. cham. mellissae, menthae uncis quatuor, acetatis ammoniac, scrp. semis-unum. addito Camphorae subactae gr. j. — jj. — Gradu debilitatis majoris praesente, remedia excitantia nervina efficaciora subministranda sunt, ut radix angelicae valerianae sylvestris, serpentariae virginianae, forma infusi, quibus addimus camphoram successive ad gr. 6 — 10 augendam, vel liquores aethereos, his nedum sufficientibus maxime efficacem se praebuit moschus, (*Richter*). Characterem morbi ex nervoso-septico summam laudem consecutae sunt radix et flores arnicae (*Collin, Stoll*), vel solae, vel juxta *Hinze* in conubio cum Opio; Characterem septico praedominante adstringentia et tonica maxime conveniunt, ut Alumen, (*Leib. Mosely*) acida mineralia: oxymuriaticum vel nitrosum (*Th. Hope*), cortex cinchonae, ratanhia (*Rüster*), in decocto vel extracto, cort. cassiae lignae, nux moschata, praepriis vero vinum bonum antiquum rubrum, quod virtutem aliorum pharm. saepius superat.

In hac specie Dysenteriae et externa remedia valde proficua sunt, ut fomenta aromatica, aquosa vel vinosa, (*Ekmann*) inunctionem laudat spiritus camphorati, vel linimenti volatilil in abdomen. subinde antispastica ut synapismus, vel emplastrum cantharidum abdomini impositum, proficua sunt; huc imprimis faciunt et clysmata stimulantia, sic *Horn* laudat clysmata ex decoct. valerianae, *I. O. Beirme* clysmata aquae frigidae. —

Subinde post Dys. graviorem perpassam remanet status adynamicus jam universalis, longe frequentius tamen topicus — manifestans se per diarrhoeam chronicam per solam atoniam et laxitatem tubi intestinalis sustentatam (Dys. chronica) adversus quam ab observatoribus remedia diversa adstringentia tonica ut alumen, cortex quercus, lythrum salicaria, symphi-

tum, cortex simarubae, cascarillae, radix colombo, ratanhiae (*Küster*) therebintina (*I. Copeland*) aqua calcis (*Coll. med. monast. 1800*) jam externe forma clysmatis frequentius interne in decoctis exhibita. quibus tamen omnibus palmam eripere videntur radix et flores arnicae et cortex cinchonae, sed frequentissime ob statum adynamicum universalem simul praesentem plurimum praestat vitae regimen roborans aër purus, siccus, diaeta blande nutriens, vinum bonum dosi moderata sumptum, acidulae selteranae cum lacte asinino, subinde tamen ad remedia roborantia uti: lichenem, martialia et corticem recurrendum.

## Prophylaxis.

Haec imprimis tempore epidemiae summam observantiam postulans, evolutionem morbi subinde inhibens — sequentibus absolvitur: a) ut aestum diurnum nec non frigus nocturnum, cunctaquae refrigerium causantia solicite vitent. b) munditiam summam et corporis et vestium imprimis linearum observent; c) puritati aeris intenti, omnia eum inquinare valentia removeant. b) motum corporis moderatum occupationibus gratis intenti perficiant, e) ventriculum ne nimis repleant neque tamen vacuent. f) omnia quae vires corporis labefactant ut vigiliis nocturnas, et jacturam humorum nobiliorum sanguinis et seminis praeprimis vitent. g) a pharmacis omnibus imprimis a purgantibus nulla necessitate urgente abstineant. h) animo ne despondeant. qua propter domos et loca Dysentericis contaminata vitent. i) ad suppressam transpirationem cutaneam revocandam remediis diapnoicis mitioribus utantur, frictionem cutis moderatam saepius instituant, j) fors metu infectionis praesente, quae subinde per pressionem in praecordiis, nauseam praefereenter post pastum manifestari solet, illico ad emeticum recurrendum.

Medici, chirurgi, religionis ministri, obstetrices et parabolani adhuc speciatim sequentes observandas habent regulas:

- a) vestes pelliceas vitent, vestes, levius induti, saepius mutent,
- b) nunquam ventriculo jejuno aegrotos accedant,
- c) neque stragulis, vestibis aut sellis eorum insideant, eo minus utensilibus eorum utantur,
- d) dum linguam, cutim aut excrementa inspiciunt, nares osque removeant, et strophio aceto antiseptico impregnato obtegant,
- e) sputum ne deglutiant,
- f) manus abluant. similiter et os aceto eluant.



## Theses defendendae.

---

### I.

Character essentialis Dysenteriae est inflammatio.

### II.

In Hysteriasi, sola in medicum fiducia princeps remedium.

### III.

Morbus pandemius, donec naturam illius ignoramus, pro contagioso declarandus est.

### IV.

Camphora est remedium stimulans.

### V.

Coeca medicorum theoriae cuidam assectatio, erat vitae humanae omni aevo summe exitiosa.

### VI.

Pulsus arteriarum nimis fallax symptoma.

### VII.

Uterus in valetudinem foeminae secundam summum exerit influxum.

VIII.

Virtus plantarum pro vario clymate potenter variat.

IX.

Amaurosis humoralis cum Apoplexia apprime convenit.

X.

Viget inter cutim externam et hepar summus antago-  
nismus.

XI.

Natura sanat, medicus curat, medico ignaro multi sa-  
nantur, male curantur.

